

Vt præcedentis trianguli A B C, in A rectanguli datis cruribus A B, 9384. & A C, 137. Quæratur angulus B. Ex Logarithmo A C, 42924534—000. aufer 635870—000, Logarithmum A B. & provenient 42288664, differentialis anguli B, o $\bar{g}$ 56. ii, quæsiti. Verum si dentur crus A C, 137: & angulus B, o $\bar{g}$. 56. ii, habebitur crus A B auferendo 42288664, differentialem anguli B. à Logarithmo A C. qui est 42924534——000. Inde enim proveniens 635870——000, est Logarithmus numeri 9384, qui crus est A B. quæsitum. Tertiò datis crure A B, 9384. & angulo B, o $\bar{g}$, 56. ii: ut habeatur crus A C, adde 635870——000, Logarithmum cruris A B. ad 42288664, differentialem anguli B. & provenient 42924534—000, Logarithmus 137, cruris A C, quæsiti. Hypotenusa autem B C per præced. prop. habetur. Angulus etiam C, patet, quum sit complementum anguli B, jam cogniti. Et ita per hanc, & præmissam, ex latere quovis, & parte alia quavis rectanguli datis reliquæ omnes ejus partes innotescent.

Completam ergo habes rectangulorum rectilineorum scientiam: sequitur obliquangulorum.

De triangulis rectilineis præsertim obliquangulis.

CAP. II.

Prop. 4. *IN omni triangulo, aggregatum ex Logarithmis anguli cujusvis, & lateris eum ambientis, æquatur aggregato ex Logarithmis lateris, & anguli eis oppositorum.*

Quia omnium laterum ad oppositorum angulorum sinus eadem est ratio: & ita factum ex anguli cujusvis sinu recto, & latere quovis eum ambiente, æquatur facto ex latere subtendente priorem angulum, & sinu anguli subtensi à

si à priore latere. Ideo (per prop. 5. cap. 2. lib. 1.) aggregatum ex Logarithmis &c. æquatur. ut supra.

Corol. *Unde ex duobus angulis quibuscunque datæ speciei, & suis subtendentibus, si tria dantur, quartum quodcunque, atque inde cætera omnes trianguli partes innotescent.*

Horum enim quatuor proportionalium quodvis quæsitum potest quarto loco constitui, & per 3. probl. cap. 5. lib. 1, inveniri.



Vt obliquanguli A. B. C detur A B. 26302, & B C. 57955. & angulus C. 26 graduum: Quæraturque angulus A, qui sic habetur. Adde 5454707—00 Logarithmum B C. ad 8246889 Logarithmum scilicet C 26 graduum, & fient 13701596——00. Hinc aufer Logarithmum A B, qui est 13354921——00, restant 346675 Logarithmus 75 graduum, & paulò pluris, anguli scilicet, A quæsiti, si A prædicatur acutus: alioqui 105 $\bar{g}$ (per 1. & 2 sect. cap. 3. lib. 1.) si pronuncietur obtusus.

Vice versa si detur angulus A jam 75 graduum, atque angulus C. & latus B C. ut supra: & quæratur A B. adde 5454707—00 Logarithmum B C. ad 8246889 Logarithmum anguli C, fient, ut supra, 13701596—00, à quibus aufer 346675 logarithmũ anguli A, provenient 13354921—00 Logarithmus lateris A B, & numeri ejus 26302 quæsiti. Habitis jam angulis A. 75 $\bar{g}$. & C. 26 $\bar{g}$, erit angulus B. 79 gr. per 1. hujus. Ex quo jam habito, non secus acquiritur latus ei oppositum A C. 58892, quàm nuperrimè ex angulo C. innotuit latus ei oppositum A B. Itaque jam patent omnes hujus obliquanguli partes.

In obliquangulis crura vocamus, quæ angulum quemvis ambiunt: basim quæ subtendit.